



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Abbate, quem inclusa simoniacè intrasse dicebat, eo quòd electionem
suam antè procurasset, cap. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Religiosi
procuratores
dignitates,
quomodo
fiant si
moniaci.

ABbas quidam ad quandam veniens inclusam, quam nouerat feminam esse sanctam, & diuinis reuelationibus alluefactam, ait illi: Petre soror, ut Deum roges pro me, quatenus tibi ostendere dignetur, si ei placeat, & mihi expediat, manere in officio huius Abbatia. Mox illa sergens abiit & orauit, celeriusque reuersa, qua sibi fuerant reuelata Abbati manifestauit. Non est, inquit, voluntas Dei, neque expedit tibi, ut in hac Abbatia maneas, neque saluare poteris in ea animam tuam. Quare? quia simoniace intrasti. Abbate stupente super hoc verbo, ac dicens: Quid est quod loqueris soror? non enim mihi alicuius simoniae in electione mea conscius sum. Respondit illa: Ego tibi ostendam simoniace intrasse te. Mortuo antecessore tuo, tu ad Abbatiam aspirans, non simpliciter ambulasti; sed fratres tuos simplices tali modo nimis astute circumuenisti. Non est necesse, aiebas, ut aliquam personam extra domum nostram, quae valde honesta est, eligamus, ne nos ipsos confundere videamur. Tibi enim constabat, quia si electio fieret in domo, non aliam, nisi tuam personam esse eligendam. Ecce sic factus es Abbas. Quod ille audiens, confessus est, & non negauit, statimque patrem Abbatem adiens, donec absolueretur petere non cessauit. **APOLLONIVS**: Abbas iste ad abbatiam aspirando tam grauiter peccauit, quid est quod Apostolus dicit: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat? **CASARIUS**: Apostolus non reprehendit episcopatum, sed desiderium, quia in illo attedit laborem, in isto ambitionem. Vnde Mox subiunxit: Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, prudentem, ornatum, humilem, hospitalem, doctorem, &c. Idem sanctus Benedictus definit de Abbate in regula: Licet nemo sibi assumere debeat honorem, sicut hodie heu multi faciunt, sed qui electus fuerit a Deo sicut Aaron: videtur tamen quod aliquis possit desiderare sine periculo huiusmodi dignitates ad hoc tantum, ut prosit, non ut praesit, teste Salvatore: Si oculus tuus fuerit simplex,

1. Tim 3.
Cap 64.
Regula
sua Heb.
5 Quo
modo
quis licite
possit
desiderare
prelaturam.
Matth. 6

totum

rotum corpus tuū lucidum erit APOLLONIVS: De hoc audire delectat exemplum.

CAPVT XIX.

CÆSARIVS.

CVM nostris temporibus Parisijs vacaret episcopatus, & electores inter se concordare non possent, tribus sua vota cōmiserunt: qui tres cū in vnam conuenire nequirent personam, magistro Mauritio, qui vnus trium erat, duo suam dederūt auctoritatem, vt quemcunque ipse nominaret, episcopus esset. Et quia idem Mauritiū, vt rei exitus probauit, magis cupiebat prodesse, quam præesse, seipsū nominauit, dicens: Aliorum conscientias & propositū ignoro, episcopatū hunc, gratia Dei me adiuuante, irreprehensibiliter regere propono. Quod & fecit: sanctæ enim vitæ fuit, tam verbo quàm exemplo plurimis profuit, dies suos in eodem episcopatu clausit. Hoc etiam noueris, quòd sæpe ambitiosi à suo desiderio nutu Dei fraudentur, & si præmoti fuerint, eius permissione vix euadunt, quin in ipsis dignitatibus periculose tribulentur, vel cum confusione deponantur. Audi de his exempla fortè aliquibus necessaria.

CAPVT XX.

PRior quidam ordinis nostri defuncto Abbate suo ab abbatiam aspirans, cū tempore electionis à Visitatore, sicut cæteri seniores, de persona idonea interrogaretur, non corde, columbino, monachum quendam de domo eadem ob infamiam eiectum nominauit: sciebat enim Prioris auctoritatem non esse modicam, & si aliquem de conuentu nominaret, per hoc suam electionem posse infirmari, & se in suo desiderio impedire. Factum est nutu vt creditur diuino, vt cæteri, eius exemplo, eandem personam eligerent, dicentes intra se: Prior oculus noster nec talem personam nominasset, si ei de illius innocentia non constaret. Fortè si idem Prior simpliciter abulasset, factus esset Abbas. Et satis puto, quantum ex verbis cuiusdā Abbatis, qui mihi retulit, cōjicio, quòd tantū fuerit cruciatus in eiusdē monachi promotione,